

per divortium; l. *Cum hic status* 32, § 19 et 21. ff. de donat. inter vir. et uxor. (29. In dubio autem, an Donatio fuerit a donatore revocata, præsumendum est non esse revocatam, textu expresso in l. *Cum hic status* 32, § 4, ff. de Donat. inter vir. et uxor. ibi: « Si appareat defunctum evidenter revocasse voluntatem; quod si in obscuro sit proclivior debet esse Judex ad comprobendam donationem. »

(30. Milites donare non possunt Focariis, seu concubinis suis; leg. 2. Cod. de donat. inter vir. et uxor. ubi assignatur hæc ratio, quia licet donatio meretrici ab aliis etiam obrem turpem facta valeat, textu claro l. *Affectionis* 5 et leg. *Donationes in Concubina* 31. ff. de donat. « Milites tamen meos (ait Imperator) a focariis suis hæc ratione, fictisque adulationibus spoliari nolo. »

(31. Princeps supremus, ut Rex et hujusmodi, non potest profuse donare in grave, et notabile præjudicium status, et regni; atque ideo successores poterunt ejusmodi donationes revocare, ut colligitur ex cap. *Intellecto* 33, de jurejurando, ubi sic expresso habetur: « Intellecto jamdudum, quod charissimis in Christo fidelis noster Hungariæ Rex illustris alienationes quasdam fecerit in præjudicium Regni sui, et contra Regis honorem; Nos eidem Regi dirigimus scripta nostra, ut alienationes prædictas non obstante juramento, si quod fecit de non revocandis eisdem, studeat revocare. Quia cum teneatur, et in sua coronatione juraverit jura Regni sui, et honorem Coronæ illibata servare, illicitum profecto fuit, si præstitit de non revocandis alienationibus hujusmodi juramentum, et propterea penitus non servandum. » Et ratio est, quia bona Coronæ sunt suo modo vinculata, et Regi concessa ad defensionem, et administrationem Reipublicæ, et ad onera sui muneris sustinenda, non vero ut in Reipublicæ detrimentum profundantur; sic cum aliis probat Molina t. 1, tract. 2, disp. 23. Lugo t. 2, disp. 24, sect. 10, n. 148. (32. Potest tamen Rex, et alius Princeps supremus donare juxta conditionem sui status; sicuti potest, et debet remunerare merita subditorum, præsertim si in commune bonum cedant; hoc enim spectat ad providam Regni gubernationem, et decentem Regis dignitatem, cum non possit Regia dignitas, et Regni gubernatio sine liberalitatis, et remunerationis exercitio decenter sustineri; colligitur ex cap. *Abbate* 3, de sententia, et rejudicata in 6. Lugo l. c. Molina l. c. et alii.

(33. Clerici Beneficiati de bonis suis patrimonialibus, et quasi patrimonialibus, et parcimonialibus facere possunt honestas donationes, non tantum remuneratorias, sed etiam liberales, et profanas, moderatas tamen secundum qualitatem sui status, et conditionis. De bonis autem Ecclesiasticis superfluis non possunt facere donationes profanas liberales, sed tenentur sub mortali ipsa bona Ecclesiastica superflua erogare in pauperes, vel ad causas pias applicare. Est communis. Vide verb. *Beneficiatus* art. 1.

a num. 35, usque ad num. 62, ubi late de hac re.

(34. Episcopi, vel Ecclesiarum Prælati, sive sæculares, sive Regulares non possunt facere ex mera liberalitate donationes magnas, sive in magna quantitate, de redditibus, et bonis Ecclesiæ, seu Monasterii. Et si tales donationes faciant revocari possunt, ac debent per successorem, textu expresso in cap. *Fraternitatem* 2, de donationib. ibi: « Fraternitatem tuam credimus non latere. » quod cum Episcopus, et quilibet Prælati « Ecclesiasticarum rerum sit procurator, et « non Dominus, conditionem Ecclesiæ meliorem potest, facere vero deteriolem non « debet. Accepimus autem, quod prædecessor tuus graves donationes de rebus Episcopatus fecit in detrimentum Ecclesiæ, « suis Canonice inconsultis. Unde quoniam « donationes hujusmodi de jure non tenent, « indulgemus tibi, ut liceat donationes hujusmodi, tam a Clericis, quam a Laicis legitime revocare. » (35. Possunt tamen dicti Prælati facere valide, ac licite donationes modicas, seu in parva quantitate, etiam mere liberales, ubi est loci consuetudo, textu expresso in cap. *Cæterum* 3, de donationib. ibi: « Data rei quantitas, et illius terræ consuetudo (quæ tamen sacris Canonibus non obviet) est diligentius attendenda, et secundum hoc est donum ratum; vel irritum judicandum », et sic tenent Abbas in d. cap. 3, num. 3. Barbosa ibid. num. 2. Engel lib. 3, decret. tit. 24, num. 12. Pirhing ibid. num. 13. Reiffenstuel ibid. num. 34, et alii communiter. (36. Quinimmo possunt dicti Prælati facere moderatas donationes ex rebus mobilibus Ecclesiæ, seu Monasterii non pretiosis, etiam ubi non est loci consuetudo; arg. cap. *Fraternitatem* 2, de donationibus, ubi solum prohibentur donationes graves, seu magnæ; ergo a sensu contrario, si non graves, et magnæ, videntur concessæ, ut notat Glossa ibid. verb. *Graves*; et docent Imola in cap. *Cæterum* 3, de donationib. in fine; Redoan. in tractat. de rebus Eccles. non alienand. quæst. 52, num. 61. Pirhing loco cit. num. 14. Reiffenstuel loco cit. n. 35. Et ratio est, quia per hujusmodi modicas donationes Ecclesia, seu Monasterium nihil lædi censetur, et aliunde evitatur avaritiæ suspicio, et conservatur bona existimatio, et benevolentia hominum, indeque procuratur etiam Ecclesiæ, seu Monasterii utilitas, et notat Layman in dis. Canon. de rebus Eccles. non alienand. § 8, de donationib. Thesi 114. (37. Quænam autem dicantur modicæ, et parvæ donationes, adeoque permisissæ, cum in Jure definitum non sit, id Judicis, aut viri prudentis arbitrio judicandum relinquatur, consideratis Ecclesiæ, seu Monasterii facultatibus, donantis, et donatarii qualitatis, aliisque circumstantiis, prout declarasse Sac. Congregationem Concilii testatur Fagnan. in cap. *Nulli* n. 26, de rebus Eccles. non alienand. et tenet communis Doctorum.

(38. Episcopi, et Ecclesiarum Prælati possunt facere donationes remuneratorias etiam

magnas in compensationem meritorum, et beneficiorum in Ecclesiam, vel Prælatum, seu etiam in membra ipsius a donariis collatorum, quia datio remuneratoria non est proprie donatio, ut colligitur ex l. *Aquilinus* 27, juncta Gloss. 27, verb. *Non meram*; et lib. penult. § *Si quis*, ff. de donationib. Non enim est mere liberalis, ut requiritur ad meram, et propriam donationem; ex l. 1, princip. ff. eod. sed tit ex obligatione gratitudinis, prout constat ex l. *Sed etsi* 23, § *Consuluit*, ff. de petit. hæred. ubi dicitur. Antidora, seu remunerationes esse veluti genus quoddam permutationis, modo illæ sint commensurate meritis, seu obsequiis, et beneficiis præstitis; Abbas in cap. 3, num. 3, de donat. et in cap. 5, num. 6, eod. Barbosa in d. cap. 3, num. 2, ff. eod. Menoch. consil. 191, num. 32. Molina tract. 2, disput. 276, num. 2, disput. 292, num. 2 et seq. Layman lib. 3, tract. 4, cap. 12, num. 9. Engel lib. 3, decret. tit. 24, num. 22. Pirhing ibid. num. 10. Reiffenstuel ibid. num. 40. (39. Immo ob remunerationem magnorum beneficiorum, quæ Ecclesiæ, vel Prælati ejus intuitu præstita fuerunt, etiam res aliqua immobilis Ecclesiæ donari potest alicui, præmisso tractatu, et aliis Juris dispositionibus et solemnitatibus; cap. *Quicumque* 66, et ibi Gloss. caus. 12, quæst. 2, et cap. *Per tuas* 3, de donat. ubi remunerationis causa approbatur ut valida, et licita infœdatio de quatuor modiis terræ facta ab Episcopo Florentino quibusdam nobilibus Florentinis, qui tempore schismatis ipsum domi suæ sustentarunt, quamvis alias infœdatio, sicut donatio sit prohibita: Extravagant. *Ambitiosa*, de rebus Eccles. non alienand. et cap. 2, de Feudis, et docet Abbas in d. cap. *Per tuas* num. 6. Layman loco cit. Thes. 112. Pirhing loco cit. num. 11.

(40. Episcopi, seu Ecclesiarum Prælati, etiam Regulares non solum habent potestatem donandi ad remuneranda beneficia, vel obsequia jam præstita, sed etiam possunt facere donationes magnas, ut donatarium moveant ad faciendâ beneficia in futurum, v. g. ut donatarium, cujus opera, mediatione, et beneficentia Ecclesia, seu Monasterium indiget excitent ad benefaciendum, vel succurrendum, vel etiam ut damnum, ac detrimentum ab eo injuste inferendum avertant. Et ratio est evidens, quia ita donando procurant utilitatem Ecclesiæ; ob Ecclesiæ autem utilitatem bona ejusdem etiam considerabilis quantitatis alienare licet; arg. cap. *Sine exceptione* 12, qu. 2, et sic tenent Suarez tom. 4, de Relig. lib. 2, cap. 26, n. 14. Pirhing loco cit. num. 10. Reiffenstuel loco cit. num. 44, et alii passim. (41. Prælati Ecclesiastici etiam Regulares, etiam sine consensu Capituli, et requisitis juris solemnitatibus, possunt ex causa pietatis, et misericordiæ, sive titulo eleemosynæ facere de redditibus, et bonis Ecclesiæ, seu Monasterii donationes proportionatas ad bona, et facultates, quas habet Ecclesia, seu Monasterium: quia hæc donationes non fiunt ex mera liberalitate, sed ex quadam juris obligatione, et

necessitate; arg. cap. 1, de donat. et l. *Filiusfamilias* § 1, ff. eod. et docet Suarez loco cit. n. 12 et 13. Layman loco cit. Thes. 111. Pirhing loco cit. num. 9. Reiffenstuel loco cit. n. 43, et alii communiter.

(42. Prælati, seu superiores Regularium non possunt de bonis Monasterii, vel Ecclesiæ facere donationes ad usus profanos v. g. ad locupletandos suos consanguineos, et qui acceperint tenentur ad restitutionem. Et ratio est, quia Superiores non sunt Domini bonorum Monasterii, sed solum administratores, adeoque non possunt ea conferre quibus voluerint, sed debent ea impendere juxta præscriptum Sacrorum Canonum, qui non permittunt ea bona impendi nisi ad pias causas. Sic Abulensis in cap. 6. Matth. quæst. 37. Navarr. in Commentar. 2, de Regular. n. 12. Molina tom. 2, disput. 266. Layman lib. 3, de justitiæ tract. 4, cap. 12, num. 9. Sanchez lib. 7 moral. cap. 19, qu. 2. Lessius lib. 2, cap. 18, dub. 11, num. 83. Reiffenstuel loco cit. num. 37 et sequ. et communis aliorum. (43. Regulares illi, qui non sunt Prælati, administrationem tamen bonorum Monasterii sibi commissam habent, uti sunt Syndici, Procuratores, et Oeconomus, possunt donationes facere, eleemosynas dispensare secundum facultatem sibi a Superiore concessam, et juxta Ordinis statuta, et consuetudinem; S. Thomas 22, qu. 32, art. 8. Molina tract. 2, disput. 276, n. 5. Layman loco cit. n. 9. Pirhing loco cit. num. 16. Reiffenstuel loco cit. num. 48. Rodrig. t. 2, quæst. Regul. qu. 57, art. 2, et alii passim. (44. Regulares illi, qui extra Monasterium degunt cum Superioris licentia, ut sunt aliqui Regulares Beneficiati, possunt, ac tenentur de redditibus Beneficii, quorum libera est ei permissa administratio, disponere inter vivos donationes honestas, et eleemosynas facere, uti alii Beneficiati sæculares; Molina tract. 2, disp. 276, num. 5. Layman lib. 3, tract. 4, cap. 12, num. 9. Pirhing loco cit. num. 16. Reiffenstuel loco cit. n. 47, et alii passim. (45. Regulares, qui in Monasterio, sub obedientia Superiorum vivunt, et nullam bonorum administrationem habent, nullas omnino donationes, etsi alias justas, facere possunt, absque expressa, vel tacita Superioris licentia, juxta c. *Cum ad Monasterium* 6, de statu Monachorum, et c. *Non dicatis* 11. caus. 12, quæst. 1, alias, cum ipsi nec Dominium, nec ullam bonorum administrationem habeant, sed solum et purum usum, peccant contra votum paupertatis toties, quoties absque tacita, vel expressa Superioris licentia aliquid etiam pauperibus donant; D. Thomas 22, quæst. 32, art. 8, ad 1. Molina l. c. n. ult. Layman l. c. n. 9. Sanchez lib. 7 moral. c. 19, n. 92. Pirhing l. c. n. 16. Reiffenstuel l. c. n. 49. Less. loco cit. num. 83, et alii communiter, et expresse statuitur in Constitutione Clementis VIII, de largitione munerum incipiente *Religiosa Congregationes*, et in Constitutione Urbani VIII, incipiente *Nuper a Congregatione*, quæ ne in oblivionem, et in desuetudinem abeant, sub pœna privatio-

nis officii, vocisque activæ, et passivæ ipso jure incurrenda, a Superioribus localibus sunt quotannis mense Januario in publica Religiosorum Congregatione; vel saltem in publica mensa perlegendæ. Non obstante quod plures Doctores apud Hyacintum Donatum tract. 15, de largitione munerum velint præfatas Bullas usu non esse receptas.

(46. Quoad quantitatem donandi, jure positivo civili specialiter prohibita sunt duo genera donationum, scilicet donatio omnium bonorum, et donatio liberalis excedens 500 solidos absque insinuatione facta. (47. Donatio omnium bonorum præsentium, et futurorum, mobilium, et immobilium prohibetur; et irritatur expresse in l. *Stipulatio hoc modo* 61. ff. de verbor. obligat. quia talis donatio aufert facultatem testandi, quod jure civili indecens, ac Reipublice noxium censetur; (48. Cessante autem hac ratione, donatio valebit in utroque jure, et foro. Hinc valida est donatio omnium bonorum præsentium, quia non adimit sibi donator potestatem testandi de futuris; Julius Clarus q. 19, num. 2. Covarr. lib. 3, variar. c. 12, n. 4. Lessius loco cit. n. 94. Sporer loco cit. n. 56. et alii passim. (49. Sic etiam valida est donatio omnium bonorum præsentium et futurorum, excepto usufructu, quia eo ipso, quod excipiuntur fructus percipiendi, poterit donator testari de iis, quos ante mortem perceperit; Lugo tom. 2, disp. 23, sect. 10, num. 166. Molina disp. 280, num. 8. et alii. (50. Item valida est donatio omnium bonorum præsentium et futurorum, mortis causa facta, quia hæc non adimit testandi facultatem, cum sit revocabilis; ex § 1. *Instit. de donationib.* et l. 32, ff. eod. Molina tom. 2, disp. 280. Lugo loco cit. num. 166, et alii.

(51. His adde quod in duobus casibus est valida donatio omnium bonorum præsentium, et futurorum, quamvis adimatur donatori testandi facultas. Primus casus est, quando inter vivos fit talis donatio Ecclesiæ, vel ad aliquam piam causam, quia jus Civile non potest restringere Officia pietatis, et Consilia Evangelica arg. *Ecclesia S. Mariæ* 10, de Constitut. Talis autem donatio est officium pietatis, et Consilium Christi Matth. 19, ibi « Vade, et vende omnia, quæ habes, et da pauperibus. » Et sic communis Doctorum sententia cum Molina loco cit. Covarr. Rubr. de testamentis part. 2, num. 13. Sporer loco cit. num. 56. Lessio loco cit. num. 95. (52. Secundus casus est quando talis donatio cuicumque facta juramento confirmatur, quia adimere sibi facultatem testandi per donationem omnium bonorum, servatis sibi solum alimentis necessariis per se malum non est, sed potest esse opus bonum ex bono fine; alioquin, nec consuleretur a Christo, nec acceptaretur ab Ecclesia talis donatio, si esset per se mala, et pernicioosa. Unde cum absque ullo peccato possit quis omnia sua donare, si juramento promittat se non revocaturum, valet donatio, ut aperte colligitur ex cap. *Quamvis pactum*, de pactis in 6. Sic Molina,

Lugo, Sporer, locis citatis contra aliquos Jurisperitos.

(53. Donatio liberalis excedens 500 solidos est invalida quoad excessum, nisi fiat cum insinuatione; § *Alia autem* 2. *Instit. de donationib.* et arg. l. *Sancimus* 34 et l. penultim. in fine ff. de donat. Quod ideo statutum est ne excessivis donationibus cives cum detrimento Reipublicæ ad egestatem redigantur, et ut fraudibus in donatione magnæ quantitatis obvietur. (54. Hinc si quis sine insinuatione donet pluribus summam excedentem 500 solidos, donatio illa quoad excessum est invalida si simul et quasi uno animi impetu fiat; si tamen diversis temporibus animique motibus fiat, est valida; desumitur ex l. *Sancimus* 34. C. de donationib. § 4. Ita Lessius loco cit. n. 97 et alii. (55. Si quis debitum aliquod liquidum summam 500 Solidorum excedens remittat, invalida est remissio quia remissio est instar donationis; Jul. Clarus qu. 16 n. 1. Lessius loco cit. n. 98 et alii. In quibus autem casibus valeat donatio excedens 500 solidos, vide art. anteced. a num. 31 usque ad 38.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

56. Sunt præter adductas ab Auctore et aliæ personæ, de quibus quæri potest an possint nec ne donare. De Clientibus quæstio est, an fervente lite possint donare Advocatis, Procuratoribus, aliisque similibus litis administris. Negant Charondas lib. 7. Respons. 166, aliique apud Wesel ad Novell. Constit. Ultraject. art. 15, n. 11, idque quia talis donatio extorta præsumenda est magis metu litis talis perperam administrandæ, quam liberalitatis gratia. (57. At Voet. in comment. ad Pandect. lib. 2, tit. 14, n. 18. « Quum in dubio (inquit) quisque bonus credatur, neque metus in liberalitatibus, ultimisque elogiis, aut contractibus, præsumatur, verum probandum sit, tamquam delictum etc., neque ad eo patronorum penuria laborent nunc Tribunalia, ut a patrono causam desertum iri jure Clientis metuat, possitque facile sinistri quid suspicatus, eo derelicto, alteri minus suspecto committere suæ litis tutelam, non aliter horum opinio probanda videtur, quam si provido Judici ac circumspecto sufficientia ex variis circumstantiis obvia fuerint indicia circumventionis, et extortæ liberalitatis signa. Quis enim iverit inficias, ipso litis tempore infinitas intercedere posse donationes, legatæ a Cliente in Patronum conferendi causas, nullum habentes cum lite continentiam, aut communionem? (58. Neque obstant verba generaliora in dict. leg. 6, Cod. de Postulando, quasi omnis conventio interdicta esset, quum potius convenienter aliis legibus supra adductis accipienda sint de istis conventionibus, quæ malo more de quota litis; aut palmario pendente lite aut probrosa litis redemptione vetitæ erant celebrari. » Et inter alios conveniunt Henry in collect. Arrest. tom. 2, lib. 4, quæst. 55. Wesel ubi supra n. 13 et 14.

(59. Quod de Clientibus respectu Advocatorum, Procuratorum et aliorum similitum litis administratorum dictum est, id obtinet

etiam de ægrotis respectu Chirurgorum, et Medicorum, nam et ægroti donare possunt Chirurgis, et Medicis durante morbo; « Quæ sententia (ita recte ait idem Voet. loco mox citato num. 16.) moribus hodiernis tanto magis conveniens, quo honestioris plane loci nunc nostrates sunt Medici, quam olim Romani, sæpe servi, sæpe vilissimi, rapinarum, direptionum, concussionum, scelerumque similibus infamia laborantes, et ob id non ab omni timoris inferendi suspitione immunes. »

(60. Confer etiam Zoef. in Pandect. lib. 2, tit. 14, num. 20. Fachin. controvers. lib. 2, cap. 25.

(61. De pœnitentibus quoque disputari solet, an donare possint Confessariis. Negant Ricard. de donat. part. 1, num. 516. Rousseau de la Combe in sua Jurisprud. Canon. verb. *Donatio*, modo non agatur de donatione parvi momenti, vel remuneratoria. (62. Quinimo idem locum habere, etiamsi donatio fiat Conventui, vel Monasterio, vel alteri Communitati, cujus est Confessarius, tenent Auctores ibid.

ARTICULUS III.

Donatio quoad ejus revocationem.

(1. Donatio inter vivos semel legitime facta, et acceptata, regulariter loquendo non potest amplius revocari per Donatorem, textu expresso in leg. ult. Cod. de revocand. donat. ibi: « Generaliter sancimus, omnes donationes lege confectas, firmas, illibatasque manere; » (2. Et sic firma remanet talis legitime inter vivos facta donatio, ut nec rescriptum Principis revocari valeat, textu expresso in leg. *Si donationem* 5. Cod. eod. ibi: « Si rite fecisti, hanc auctoritate rescripti nostri rescindi non oportet. » (3. Ab hac tamen regula excipiuntur tres causæ principales, ob quas Donatio revocari potest, scilicet, ob ingratitudinem Donatarii, ob prolem postea susceptam; et si Donatio sit inficiosa liberis.

(4. Prima causa, quod scilicet donatio revocari possit ob ingratitudinem Donatarii, habetur expresse ex cap. *Propter* 10, de donationibus, ibi: « Propter ejus ingratitudinem, in quem liberalitas est collata, donatoris persona de rigore juris eam poterit revocare, » et leg. 1. *Cod. de revocand. donat.* ibi: « Si ingratus sit, omnis donatio, mutata patronorum voluntate, revocanda est; » et concordat leg. ult. Cod. eod. ubi quinque enumerantur casus, in quibus a Donatario censetur committi ingratitudo sufficiens pro facienda revocatione Donationis. (5. Primus casus est, si Donatarius manus impias, ac violentas in donatorem injecerit; cit. leg. ult. et cit. cap. *Propter*. ibi: « Si forte in ipsum impias manus injecerit. » Dicitur autem quis manus impias, ac violentas injicere, sive manibus, sive pedibus, sive per lapidem, sive per fustem, vel rem aliam, et sive per se, sive per alium id fiat, juxta leg. Non solum 11, in princip. ff. de injuriis; dummodo percussio sit graviter injuriosa, et non

sine culpa mortali; quia si quis pro patria, vel propria, vel proximi justa defensione Donatori manus injiceret, ingratus dici non posset, nec esset locus revocationi Donationis, quia ubi non est culpa, nec pena inferri debet. Sic etiam talis ingratitudinis reus non esset Donatarius, si ex ignorantia, vel casu id faceret; tunc enim deesset animus injuriandi, seu offendendi Donantem, sine quo animo non inferitur injuria; leg. 2, § 1, ff. de injur.

(6. Secundus casus est, si Donatarius in Donatorem injurias atroces effundat; cit. leg. ult. et cit. cap. *Propter*, ibi: « Si injurias atroces inferre præsumperit. » Quenam autem sit injuria atrox, relinquatur judicanda arbitrio Judicis ex facto, loco, qualitate personæ tam injuriantis, quam injuriatæ, aliisque circumstantiis; § *Atror*, *Instit. de injur.* Atror injuria potest fieri vel verbis, v. g. verbis graviter contumeliosis, ac injuriosis eum afficiendo, vel facto (absque tamen manuum injectione, quia tunc ad primum casum talis injuria pertineret) v. g. si Donatorem captivum teneat, ut notat Abbas in cit. cap. *Propter* 10, de donationib. arg. cap. Nuper 39, de sentent. excommum. Molina disput. 281, num. 1. Vel si adulterium cum uxore Donatoris, aut stuprum cum ejus filia committeret, ut notat Pirhing lib. 3. Decretal. tit. 24, n. 34. Reiffenstuel ibid. n. 53.

(7. Tertius casus est, si Donatarius grave damnum inferat Donatori in rebus, seu bonis suis externis; cit. l. ult. et cit. cap. *Propter*, ibi: « Si donatori grave rerum suarum damnum inferre præsumperit. » Quale autem sit grave damnum, Judicis arbitrio, judicandum relinquatur, spectatis facultatibus Donatoris, aliisque circumstantiis. Non sufficit tamen ad revocandam donationem, quod Donatarius attentarit inferre grave damnum, sed requiritur, ut re ipsa tale damnum sit illatum, quia lex concedens revocationem est pœnalis; cujus verba sumi debent cum effectu; argum. cap. *Hæc autem verba*, dist. 1. de pœnitent. ibi: « Quid enim obfuit conatus, cum injuria nullum habuerit effectum? » Molina loc. cit. n. 2. Pirhing loco cit. n. 34. Reiffenstuel loco cit. n. 55.

(8. Quartus casus est, si Donatarius grave periculum vitæ Donatori inferre præsumperit; etiamsi mors secuta non fuerit; quia Jura in hoc puncto ob solam attentionem, seu positionem periculi, etiam effectu non subsequuto, facultatem revocationis concedunt expresse ut colligitur ex cit. l. ult. et ibi Glos. verb. *Periculum*, Abb. in cit. cap. *Propter*, num. 2. Molina l. c. Reiffenstuel l. c. num. 56.

(9. Quintus casus est, si Donatarius conditiones in donatione impositas, et a se acceptatas nolit adimplere, si v. g. pensionem annuam, cui se obligavit, nolit solvere; cit. leg. ult. de revocand. donat. ibi: « Si nempe quasdam conditiones, sive in scriptis donationi impositas, sive sine scriptis habitas, quas donationis acceptator spondit, minime implere voluerit? » Hic casus tamen